



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**


**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 35. De curiositate vitandæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XXXV.

DE CVRIOSITATE

VITANDA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Christo dicente S. Petro sequere me; Ioan. 21, vidit Petrus S. Ioannem & dixit: Domine, hic autem quid?*
- II. *Resp. Christus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*
- III. *Exijt sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur, &c. Hic est discipulus, qui scripsit haec, &c.*

---

PROPHEZIA.

**Q**UAE praecipit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus, ne fueris curiosus. *Eccl. 3. 22.*

---

DOCUMENTA.

- I. **S**PETRV M, postquam eum Pontificem fecisset Christus (committendo ei oues suas & agnos) inuitat ad se sequendum, in vita, per virtutes & labores (sicut Christus ipse vixerat) & in morte per passionem. Ut sciant ij, qui superiores sunt in Ecclesia, se nō vocari,

vocari, ad titulos ambitiosos, & dignitatem solam: sed multò magis, ad perfectionem ampliorem, actus caritatis, &c. Etiam ad mortem ipsam, si ita ad Dei gloriam, & subditorum salutem necessarium aliquando fuerit.

2. *Domine, hic autem quid?* Hæc adhuc erat aliqua imperfectio in S. Petro (quæ postea, vt aliæ infirmitates per Spiritum sanctum in Pentecoste correctæ est) vt inmisceret se rebus alienis. Quamuis excusari aliquo modo poterat, ait S. Hieron. tum quia putabat S. Ioannem optare, hoc ipsum scire; tum quia volebat ei vicem rependere ac gratificari, quod recorderetur S. Ioannem, in vltima cœna, rogasse à Christo de proditore: *Quis esset?* Sicut S. Petrus tunc perierat.

3. *Respondit Christus: Quid ad te? Tu me sequere.* Reprehenditur hic in S. Petro curiositas, nobis que exemplum datur, ne in rebus, ad profectum nostrum non spectantibus, nos immisceamus. Hæc enim est humana fragilitas, vt sæpè nobis neglectis, alienis attendamus, at retundenda est curiositas hoc clypeo rescindenda hoc cultro. *Quid ad te? Cura bene officium tuum, & Deo satisfacisti.*

4. *Tu me sequere.* Hoc dictum nobis putemus, de vitæ sanctitate & passione aduersitatum; hoc dicto nos excitemus. Secutus etiam est S. Ioannes, sicut Christus illi ac fratri

*Mat. 20* prædixerat: *Calicem meum bibetis;* quia scilicet cum Apost. per Iudæos flagellatus est; in

*Act. 4.* Pathmon in iulam relegatus, Romæ ante portam latinam, in olei dolium iniectus; Ephesi venenatum calicem ebibit; vt non tam ipse passioni ac morti, quam mors ipsi deruerit.

Cum

Cum præsertim Christo morienti iuxta crucem cum matre sacratissima steterit: & sicut illa martyr ac Regina martyrum fuit; ita & S. Ioannes iure martyr dici potest. Vt discas & tu priuatim varia (pro Dei voluntate pati) licet exterius martyrium negetur.

5. *Exijt sermo inter fratres.* Præclarum nobis S. Ioannes præbet exemplum, tum modestiæ, nihil de se interrogans (vt discamus omnia à Dei manu expectare, dicentes; *fiat voluntas tua*) tum humiliatis, volens dubiam Christi sententiam interpretari, ne vana gloria efferretur.

6. *Sic eum volo manere donec veniam.* Dubiè loquitur de morte S. Ioannis. 1. vt curiositatem sciendi futura compescat. 2. superbiam humani ingenij reprimat in S. Scriptura.



MEDITATIO XXXVI.  
DE HUMILITATE ET  
MANSVETVDINE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti Mat. II. hac à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c.*

II. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos.*

III. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me; quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Z

PRO-